

ejus, cap. i. h. t. in 6.) quanquam dominus una cum eodem procuratore, sive ad hunc exstimulandum, sive ad supplendum, si hic forsitan quidpiam omitteret, suæ causæ adesse nequiquam prohibeatur, prout ibidem subjungitur. Concordat textus in l. *Post litem*. 17. ff. h. t. ubi additur, post litem contestatam non posse mutari procuratorem « nisi causa prius cognita : » adeo, quod necesse sit, ut iudex de causa antea cognoscat, et procuratorem revocandum citet, et audiat, num forte ipsius intersit non revocari mandatum. Engel, h. t. n. 48; Gailus l. I. *Practic. observat.* 46. n. 9.

138. *Res integra, seu mandatum integrum, quamdiu dicatur?* — Loquendo autem de procuratore extrajudiciali, seu ad negotia constituto, idem patet ex l. *Si procuratorem*. § *Mandati actio*. ff. *Mandati*. et § *Recte*, Instit. *de Mandato*. In quo posteriori loco Glossa notanter inquit, quod tamdiu « mandatum » dicatur esse « integrum, » quousque censeatur interesse mandatarii, sive procuratoris : ut puta, si mandata emptione is arrhas jam dederit, vel se obligaverit, aut alia præparamenta fecerit, sine quibus principale negotium expediri non potest. Tunc enim, si procurator, sive mandatarius absque ulla causa revocaretur, jam hoc ipso damnum sustinere cogeretur absque sua culpa; quod iniquum est. Concordat alia Glossa in Clem. ult. §. *Pro Ecclesia*. h. t. dicens, quod dicatur « Res integra, » in judiciis, ante litem contestationem; in negotiis, antequam quis fecerit præparamenta.

139. *Causæ justæ revocandi procuratorem re non integra, quæ?* — Porro causæ legitimæ revocandi procuratorem etiam re non integra, recensentur in cit. c. *Quamvis*. 2. h. t. in 6. videlicet : Si procurator fiat domino principali inimicus, vel suspectus; aut ejus adversario affinitate jungatur, vel hæres istius efficiatur : aut si religionem ingrediatur, sive in longinquum peregrinetur; seu ipsum ægritudine, aut vinculis detineri contingat; ac generaliter, quoties alia rationabilis causa subest, propter quam merito sit revocandus. Concordat textus in l. *Procuratoribus*. C. h. t.

140. *Procurator potest revocari dupliciter, expresse et tacite.* — Resp. II. Procurator ipsumque mandatum procuratorium potest revocari dupliciter, expresse videlicet et tacite. Ita Zoesius, h. t. ff. n. 20. et communis. « Expresse » quidem revocatur, quando dominus revocans utitur verbis expressis, aut

scriptura dictam revocationem clare exprimente : quodlibet enim horum sufficit. Quinimo potest dominus revocare mandatum, etiamsi jurasset non revocare; licet fiat perjurus. Glossa in cap. ult. §. *Revocatus* h. t. in 6.

141. *Prior procurator an revocetur per constitutionem secundi?* — « Tacite » revocatur prior procurator, per constitutionem secundi l. *Si quis cum*. 31. § fin. ff. h. t. et c. *Non in juste*. 14. h. t. Nisi constituens exprimat se nolle per hoc revocare primum, arg. l. *Si pluribus*, ff. *de Legat.* 1. ac notat Vivianus in *Rationali*, cap. vi, § 1. h. t. in 6.

142. *Ac per hoc quod dominus superveniens ipsemet causam tractet?* — Insuper tacite censetur revocari procurator, quando eo simpliciter constituto, postea ipsemet dominus supervenit, et causam tractat, nisi protestetur, se nolle eundem procuratorem revocare, aut ex aliis conjecturis istud appareat. Textus est in c. *Si quem*. 8. h. t. in 6. Secus dicendum de illo procuratore, qui non simpliciter est constitutus, sed solum sub clausula, « Quoties dominum abesse contigerit : » nam talis manet procurator domino absente, licet dominus præsens causam per se ipsum tractaverit; prout ibidem habetur decisum. Quod si vero dominus causam per se ipsum non tractet, sed solum eidem adesse velit, sive ad extimulandum procuratorem, sive ad videndum, an omnia recte agantur, non idcirco revocari procuratorem, clare colligitur ex c. *Quamvis*. 2. h. t. in 6.

143. *Mutuo consensu domini, et procuratoris, cessat hujus officium.* — Quæritur III. Quæ ratione officium procuratoris finiatur renuntiatione, seu mutuo principalium consensu? Resp. I. Certum est, quod mutuo consensu principalium, videlicet domini constituentis, et procuratoris constituti, cesset mandatum procuratorium, atque ipsius procuratoris officium. Patet hoc ex l. *Mutari*. 24. ff. h. t. juncta Glossa ibid., tum ex cap. i. *de Reg. jur.* ibi : « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » Verum difficultas restat, quid juris, si alterutra pars sit invita. Et quidem, quid sit dicendum in casu, quo procurator est invitus, nec vult revocari, patet ex præcedenti quæstione : loquendo autem de casu converso.

144. *Invito domino non potest procurator post susceptum mandatum suo officio renuntiare.* — Resp. II. Nequit procurator suscepto semel mandato legitime constitutus, pro suo libitu,

atque invito principali constituto renuntiare; nisi ex justa causa, et accedente iudicis auctoritate. Ita communis. Et merito, quia mandatum suscipere, cuilibet liberum est : susceptum autem est consummandum, nisi justa causa intercesserit, § *Mandatum*. Instit. *de Mandato*. Concordat textus in l. *Invitus*. 17. C. h. t. ubi dicitur, quod invitus procuratorem suscipere nemo cogatur, sed fidem susceptam implere sufficiat. Et l. *Filiusfamilias*. § *Procuratorem*. ff. eod. ubi procurator ad litem suscipendam rite constitutus, cogitur iudicium suscipere. Accedit ratio, quia alioquin dominus cogeretur detrimentum sustinere, si procurator rite constitutus posset pro libitu, et absque ulla data causa, officium renuntiare.

145. *Nisi subsit justa causa; et qualis?* — Additur notanter, « nisi ex justa causa. » Nam hac subsistente, ac probata, potest procurator renuntiare suo officio, etiam invito domino principali; petendo videlicet coram iudice exonerationem ab officio suo, l. *Filiusfamilias*. § *Procuratorem*. una enumerantur. LL. seqq. ff. eod. Ubi etiam hujusmodi causæ enumerantur. Et sunt imprimis capitales inimicitie inter ipsum procuratorem, et dominum subortæ. Deinde, si dignitas accesserit procuratori, aut is reipublicæ causa abfuturus sit, seu necessariam peregrinationem suscipiat : item si infirmitate impediatur, quominus susceptum procuratoris officium ulterius exequatur, et hujusmodi; quæ erunt arbitrio iudicis dijudicanda, estque in simili dictum supra n. 139.

146. *Atque iudicis auctoritas accedat.* — Additur ulterius, « et accedente iudicis auctoritate. » Quia ubi dominus principalis simplicem procuratoris renuntiationem, in vel extra iudicium factam acceptare recusat : tunc procurator, cupiens a suo officio exonerari, debet a iudice petere citationem ad videndum se exonerari : et facta citatione partis, seu domini constituentis legitimam suæ renuntiationis causam allegare, de qua iudex saltem summarie cognoscat, eaque probata procuratorem a suo officio exoneret. Gailus lib. I. *Practic. observat.* 46, n. 2.

§ VII.

DE GESTIS PER FALSUM SEU REVOCATUM PROCURATOREM, AC INTIMATIONE SUE REVOCATIONIS.

147. *Falsi procuratoris exceptio potest semper objici, ac per hanc gesta ejus redduntur inva-*

lida. — Quæritur I. Utrum gesta per falsum, seu revocatum procuratorem, sint valida? Resp. I. « Falsi procuratoris exceptio, non solum ante sententiam, verum etiam postea potest objici, utpote qua probata iudicium nullum et nullius momenti controversiæ reputantur. » Ita loquitur pontifex in c. *In nostra*. 4. § fin. h. t. Unde clarum est, quod gesta falsi procuratoris, seu revocati, per exceptionem partis adversæ prorsus reddantur invalida. Concordat textus in l. *Licet*, in principio. 24. C. h. t. ubi pariter exceptio falsi procuratoris reddit iudicium retro nullum, et potest quocumque opponi.

148. *Idque exemplificatur.* — Sic in c. *Ex insinuatione*. 3. h. t. sententia lata cum procuratore revocato, et de hoc certificato, non præjudicat domino; quinimo sententia retractatur. Similiter rescriptum a procuratore revocato, et de hoc certificato impetratum non valet, neque processus vel sententia lata per illud : ut c. *In nostra*. 4. h. t. et c. *Ex parte decani*. 33. *de Rescriptis*.

149. *Secus, si nemo contra ejus gesta excipiat.* — Dicitur notanter in conclusione, « Falsi procuratoris exceptio. » Si enim nec dominus, ejus est quasi procurator, neque adversarius ipsius contra hujusmodi procuratorem excipiat, rata erunt gesta per ipsum; idque de communi consensu partium. Prout in simili rescripta justitiæ per subreptionem, etiam dolosam, non vitiantur ipso jure, sed dumtaxat ope exceptionis, arg. c. *Si autem*. 9. et c. *Plerumque*. 23. *de Rescriptis*. § 7, n. 170 et 172.

150. *Ratihabitio confirmat iudicium agitatum cum falso procuratore.* — Accedit textus notabilis in l. *Licet verum*. 56. ff. *de Judiciis*. ubi dicitur : « Et si quis, cum procurator non esset, litem contestatus sit, deinde ratum dominus habuerit, videtur retro res in iudicium recte deducta. » ubi Bartolus in Summario inquit : « Ratihabitio retrotrahitur, et confirmat iudicium agitatum per falsum procuratorem. »

151. *Dummodo hic non aliunde fuerit inhabilis et tale officium.* — Intellige de illo, qui non erat procurator ex defectu mandati, seu consensus domini, poterat tamen esse : secus enim, si aliunde erat inhabilis ad officium procuratoris exercendum. Licet enim ratihabitionem retrotrahi, et mandato non sit dubium comparari, juxta reg. 10 juris in 6. nihilominus ea supplet solum defectum consensus, non autem alios defectus.

152. *Explicatur textus in l. Licet verum, ff. de Judiciis.* — Et quamvis olim nonnulli voluerint memoratam legem *Licet verum, ff. de Judiciis* procedere, quando sententia est lata contra eum, qui ratum habebat : secus, si in suum commodum. Quia tamen textus allegatus generaliter loquitur, dictam doctrinam locum habere in utroque casu, recte notat Glossa fin. et Bartolus in cit. l. *Licet verum*. atque esse communem opinionem, testatur Jason l. *Licet*. n. 10. C. h. t.

153. *Dominus appellans a sententia pro falso procuratorem reportata censetur eam ratihabere.* — Hinc imprimis, quando dominus appellat a sententia pro falso, sive revocatum procuratorem contra se reportata, videtur eam habere ratam, l. *Cum minor*. § *Falsus*. ff. *Rem rata haberi* : sicque eam jam ratificat in sui præjudicium Glossa fin. in l. *Licet*. C. h. t. Si enim nolisset ratificare, non debuisset ab ejusmodi sententia appellare, sed falsi procuratoris exceptionem opponere, juxta c. *Ex insinuatione*. et c. *In nostra*. h. t.

154. *Dominus potest ratificare processum, ac sententiam per falsum procuratorem in sui favorem obtentam, si antea pars adversa non excepit.* — Similiter, quod processum et sententiam latam in favorem falsi procuratoris, sicque in commodum suum, possit dominus ratificare, si antea pars adversa non excepit, seu non opposuit de falsitate mandati, juxta textum citatæ legis : præter jam allegatos docet, atque in Camera conclusum fuisse, refert Gailus, lib. I. *Practic. observat.* 47, n. 4. et Barbosa ad c. *In nostra*. n. 7. h. t. citans quamplures alios.

155. *Solvitur instantia contra hoc.* — Nec obstat d. c. *In nostra*. h. t. et l. *Licet*. in principio. 24. C. h. t. ubi exceptio falsi procuratoris potest quandocumque opponi, eaque probata judicium redditur retro nullum. Resp. enim cum Jafone loc. cit. n. 10. allegata jura procedere, quando exceptio falsi procuratoris est opposita, antequam dominus ratificaverat ejus acta : secus, si postea. Tunc enim ratihabito retrahitur, nec ejusmodi procurator potest dici carere mandato, juxta dicta, et jura n. 149 et 150 allagata, quæ hac ratione facile cum juribus in hac objectione citatis concordantur.

156. *Regulariter valent gesta per procuratorem revocatum, si revocatis eidem nondum fuit intimata.* — Quæritur II. Utrum revocatio procuratoris habeat effectum, atque operetur

nullitatem gestorum, licet ipsi nondum sit intimata? Resp. I. Regulariter loquendo non habet effectum revocatio procuratoris tum judicialis, tum extrajudicialis, si eidem necdum est intimata; sed adhuc valent gesta per ipsum. Ita Glossa magna in can. *Tibi domino*. dist. 63; Felinus, c. *Ex parte decani*. n. 7, §. *Secunda regula. de Rescriptis*; Barbosa in cap. ult. n. 8. h. t. in 6. et alii. Idque desumitur ex cit. c. *Ex parte decani*. 33. *de Rescript.* et c. *Ex insinuatione*. 3. h. t. ubi ad hoc, ut gesta per revocatum procuratorem non valeant, requiritur, quod fuerit certificatus de revocatione. Concordat Clem. un. *de Renuntiis*. et l. *Si mandassem*. ff. *Mandati*, quo utroque in loco revocatio mandati, ibi de renuntiando beneficio, hic de emendo fundo antea dati, non præjudicat, si ad notitiam procuratoris non pervenerat.

157. *Idemque dicendum de mandantibus maleficium, v. g. percussorem clerici, in ordine ad incurendam excommunicationem.* — Quinimo hoc ipsum est dicendum de mandantibus maleficium : quoniam non sufficit revocare mandatum de maleficio committendo, nisi etiam notificetur talis revocatio ipsi mandatario. Felinus, loc. cit. n. 8. post Bartolum in l. *Si pecuniam*. § *Si servum*. ff. *de Condition. ob caus.* Unde qui mandavit percuti clericum, sed ante factam ab altero percussorem poenituit, incidit in excommunicationem, nisi revocaverit mandatum, ita quod revocatio pervenerit ad mandatarium; juxta Glossam, fin. c. *Mulieres. de Sentent. excomm.* et aliam Glossam in c. *Cum quis*. §. *Mandato*. eod. in 6. quæ inquit, quod quidem talis quoad Deum non teneatur, tamen quoad Ecclesiam excommunicatus sit.

158. *Fallit istud in procuratore ad contrahendum matrimonium.* — Additur notanter n. 156. « regulariter loquendo. » Nam fallit hoc imprimis in procuratore ad matrimonium contrahendum constituto : qui nulliter contrahit, etiamsi revocationem consensus sui principalis penitus ignoraverit, cap. ult. h. t. in 6.

159. *Ac in nonnullis aliis casibus.* — Atque hoc ipsum procedere in aliis hujusmodi actibus, in quibus requiritur consensus domini verus et perseverans, et non fictus (ut puta, in contrahenda cognitione spirituali, seu compaternitate, per procuratorem suo nomine tenentem in baptismo, vel confirmatione; item in matrimonio spirituali, seu in procuratore ad acceptandum beneficium constituto)

tenet Felinus, ubi supra, n. 10 et 11. Federicus de Senis, consil. 15. Abbas in c. *Veniens*. n. 4. *de Cognat. spirit.* et alii.

160. *Ac in nonnullis aliis casibus.* — Fallit deinde in casu limitato per cit. Clem. un. *de Renuntiis*. Quamvis enim ibi circa initium dicatur, quod renuntiatio dignitatis, vel beneficii facta per procuratorem ad hoc constitutum teneat, etiamsi antea procurator fuerat revocatus, ipso tamen, et superiore, cui fiebat cessio, eam ignorante : quæ pars juvat ad probationem nostræ conclusionis. Illico tamen subjungitur limitatio, illis verbis : « Nisi forte per ipsos, aut alios malitiose factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse. » In hoc quippe casu renuntiatio beneficii per procuratorem jam revocatum facta non valet, licet is ignoraverit revocationem sui mandati, ne quoquo modo malitiis hominum dictæ revocationis notitiam impedientium indulgeatur, aut hi exinde commodum reportent. Barbosa ad cit. Clem. un. n. 8. *de Renuntiis*. cum aliis. Tacentur aliæ fallentiæ, quarum undecim enumerat Felinus in c. *Ex parte decani*. n. 9. et seqq. *de Rescript.*

161. *Revocatio procuratoris judicialis post litem contestatam, debet intimari judici et adversario, vel saltem alteri eorum.* — Quæritur III. Quibus sit intimanda revocatio procuratoris, ut habeat effectum ad inducendam nullitatem gestorum per ipsum? Resp. I. Revocatio procuratoris judicialis post litem contestatam facta debet intimari judici, et adversario, vel saltem alteri eorum : alioquin, si fiat utroque horum ignorante, non habet effectum, sed tenet judicium agitatum cum tali procuratore revocato. Ita desumitur ex c. *In nostra*. 4. et c. *Mandato*. 13. h. t. et l. *Procuratorem*. 65. ff. eod. et l. un. *C. de Satis ando*. Accedit ratio : quia, nisi ad invaliditatem gestorum requireretur, ut revocatio procuratoris, post litem contestatam primum facta, intimaretur judici, vel adversario; passim posset illud judici, atque adversarius decipi, domino procuratorem suum absque eorum præscitu clam revocante, et sub finem judicii, de cujus malo exitu sibi timeret, falsi procuratoris exceptionem proponere : atqui talibus malitiis hominum non est indulgendum; ergo.

162. *Secus ante litem contestatam.* — Dicitur notanter primo, « post litem contestatam, » ut loquitur textus in cit. c. *Mandato*, h. t.

sive, ut inquit Layman ibid. n. 2. postquam semel datus procurator judici, vel parti adversæ intimatus fuit : quia tunc horum interest, ut talis procuratoris revocatio non fiat, nisi hæc ipsis quoque intimetur, ne alioquin frustra fastigentur, aut decipiantur. Secus est ante litem contestatam, vel potius ante intimationem dati procuratoris, judici, vel adversario factam : quia tunc sufficit, si revocatio mandati intimetur procuratori, utpote cum quo solo antea actum fuerat; et judex vel adversarius sibi imputent, si ejusmodi procuratorem jam revocatum admittant, et non melius ipsius potestatem et mandatum examinent, arg. c. *Ex insinuatione*. 3. h. t. ac tenet Glossa in c. *Quamvis*. §. *Revocari*. h. t. in 6. et Layman ubi supra, n. 2.

163. *Intimatio illa qualis esse debet?* — Dicitur secundo, « intimari. » Quia non sufficit, ut illis quoquo modo aliunde innotescat revocatio procuratoris, sed necesse est, ut ipsemet revocans specialiter judici, vel adversario, per nuntium, aut litteras denuntiet ejusmodi revocationem procuratoris, utpote de cujus mandato ipsis antea fides jam facta fuerat; prout notat Abbas in d. c. *Mandato*. n. 8. h. t. citans doctores communiter : et sequitur Layman ibid. n. 1. bene inter alios subjungens, quod quidem consultum sit, utrique horum intimare revocationem, habeat tamen effectum revocatio, si vel soli adversario fiat.

164. *Revocatio procuratoris extrajudicialis an, et cui fieri debeat?* — Resp. II. Loquendo specialiter de procuratore extrajudiciali, quando is datus est ad gerendum negotium cum certa persona desuper jam certificata ad hoc, ut revocatio ejus operetur nullitatem gestorum, non sufficit, quod sit intimata ipsi procurati, sed debet etiam notificari illi personæ : secus est, quando quis habuit procuratorium generale, quia tunc satis est, ipsum, procuratorem de revocatione fuisse certificatum : nisi vigore talis mandati generalis jam descendisset ad certam personam; tunc enim etiam ista desuper debeat certificari. Ita Abbas in c. *Mandato*. n. 7. h. t.; Felinus c. *Ex parte decani*. n. 22. et 23. *de Rescript.* citans alios; et favet Glossa in d. c. *Mandato*. §. *A domino revocatum*. h. t.

165. *Revocatio procuratoris extrajudicialis an, et cui fieri debeat.* — Prior pars desumitur ex l. *Si quis servo*. et l. *Qui hominem*. § *Si Titium*. ff. *de Solutionib.* ubi revocatio mandati non nocet debitori, ad cujus notitiam

non pervenit, sed solvens tali procuratori revocato liberatur. Concordat textus in l. I. *Sed ego*. ff. *Quod jussu*, cum similibus per dictam Glossam allegatis. Accedit ratio, quia alioquin multi possent decipi, si sola revocatio procuratori intimata sufficeret ad invaliditatem gestorum: præsertim, cum de legitimitate talis procuratoris jam semel aliis fides facta fuerit. Unde recurrunt rationes in præcedente conclusione adductæ.

166. *Revocatio procuratoris extrajudicialis an, et cui fieri debeat?* — Altera pars desumitur ex c. *Ex insinuatione*. 3. h. t. ubi ante factam alteri parti fidem, seu intimationem de mandato procuratorio, sufficit revocatio soli procuratori intimata ad invalidandum gesta illius. Nec obstat, quod ibi sit sermo de procuratore judiciali. Nam, quantum ad propositum, non est faciendum discrimen inter procuratorem ad lites, et ad negotia; ut inquit Abbas, loc. cit. n. 7. Utrobique siquidem militat eadem ratio; videlicet ut adversarius non decipiatur per legitimam ignorantiam: qualis impræsentiarum non interveniret, cum singulorum contrahere volentium intersit, cujuslibet procuratoris mandatum, ac potestatem prius diligenter inquirere et examinare, antequam cum ipso contrahat.

167. *Quid, si procurator inquisitus celet revocationem sui mandati.* — Quod si vero procurator inquisitus celet revocationem sui mandati, ipse obligabitur decepto, arg. l. *Et eleganter*. § penult. ff. *de Dolo*. et notat Glossa c. *Quamvis*. §. *Revocari*. h. t. in 6.

TITULUS XXXIX.

De Syndico.

1. *Ratio ordinis.* — Procuratori similis est syndicus. Quinimo nomen *Procuratoris* generaliter acceptum etiam syndicum sub se complectitur, arg. can. *Salvator*. § *Nomine*. 1. q. 3. et c. *Petitio*. 9. *de Procuratorib.* Ideoque viso de procuratore, recte nunc agitur de syndico. Porro.

2. *Syndicus, quid?* — *Syndicus* (quod est nomen græcum, et latine *Defensor* sonat) proprie dicitur ille, qui constituitur ab aliqua universitate seu collegio vel corpore, ad negotia ipsius pertractanda, ac præcipue ad causas illius et lites in iudicio prosequendas.

Textus, et Glossa in cap. un. §. *Generaliter*, h. t.

3. *An, et quomodo differat a procuratore, et actore universitatis?* — Differt autem a procuratore syndicus, quo ille constituatur a privatis; syndicus autem ab aliqua universitate, collegio vel corpore. Abbas in cap. un. n. 2. h. t. Differt etiam syndicus ab œonomo, quod hic in administratione pecuniæ, aliorumque negotiorum extrajudicialium, ille vero in litibus prosequendis præcipue versetur. Differt insuper ab actore universitatis, quod actor ad certam causam tantum, syndicus vero ad omnes causas generaliter constituatur. Glossa in l. I. §. *Syndicum*. ff. *Quod cujusque universit. nomin.*

4. *An, et quomodo differat a procuratore, et actore universitatis?* — Nihilominus actorem et syndicum, inter se frequenter confundunt sacri canones et leges; ut notat Engel h. t. n. 2. Quin etiam Ecclesia non multam facit differentiam inter procuratorem et syndicum, ubi constat de potestate tradita; juxta Glossam in c. *Suscitata*. §. *Monasterium*. *De in integrum restitut.* Idque desumitur ex d. c. *Petitio, de Procurat.* ubi iidem, quos episcopus alio profecturus suos constituerat vicarios, modo procuratores, modo syndici et actores ipsius appellantur. Unde pleraque dicta in tit. præced. *de Procuratoribus*, etiam syndico applicari poterunt.

5. *Religiosi debent habere syndicum.* — Solummodo est notandum ex cap. un. h. t. quod, cum religiosi ob capitandam eo melius quietem spiritualem, et celestium benedictionum abundantiam, litibus forensibus merito sint submovendi; iidem debeant habere syndicum, qui generaliter causas monasterii agat et defendat, etiam (si oportuerit) constituto ipsi congruo salario. « Expedi enim pro parvo incommodo, » sive damno, quod incurrunt dando salarium syndico, « a strepitu causarum servos Dei esse quietos; » prout argumentatur pontifex ibidem.

6. *Saltem de honestate, licet non de necessitate. Monachus, abbate imperante, potest esse syndicus in rebus sui monasterii.* — Atque hoc procedit de honestate. Qua de causa quandoque etiam ab episcopo, et capitulo, debet syndicus constitui. Glossa in d. cap. un. §. *Generaliter*. et favet textus in can. *In loco*. 4. q. 4. Loquendo enim de necessitate, non possunt religiosi compelli ad constituendum syndicum extraneum: imo exigente sic monasterii utilitate, ut puta si monasterium sit

inops, aut si alium idoneum et fidelem virum acquirere nequeat, abbate imperante potest etiam monachus in causis sui monasterii syndicus constitui, arg. can. *Monachi*. 16. q. 1. et c. *Insuper*. 16. *de Testib.* et c. *Cum deputati*. 16. *de Judic.* ac notat Abbas in cit. cap. un. n. 4. et Layman ibid. n. 4. h. t.

TITULUS XL.

De iis, quæ vi metusve causa fiunt.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de illis, quæ sponte agimus in vel extra iudicium, sequitur de his, quæ agimus coacti, et inviti; hoc est, vi metusve causa. Siquidem jura conveniens remedium provident adversus ea, quæ fiunt per metum; et appellatur « actio quod metus causa. » Hinc sit

§ I.

DE VI, AC REBUS PER VIOLENTIAM ABLATIS.

2. *Vis, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit vis? Resp. I. « Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest. » Ita habetur in l. II. ff. *De eo, quod metus causa gestum est*. Et sensus est: *Vis*, seu *coactio absoluta*, est impetus rei majoris (nam minor, quatenus minor vim inferre non potest) cui resisti nequit. Talis fit per violentam attractionem, vel in loco detentionem, ac hujusmodi: ut si quis invitatus trahatur Ecclesiam ad audiendam missam excommunicati; vel si Judæus, aut paganus suis vestibus invitatus exuatur, atque ad fontem portatus baptizetur, etc.

3. *Vis, seu coactis absoluta, excludit consensum, violentum quid?* — Quare vis, seu coactio absoluta, consensum prorsus excludit; cum absolute coactus « magis pati, quam agere convincatur, » ut dicitur in c. *Sacris*. 5. h. t. In eo enim, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit: unde et *violentum* definitur, non solum esse « illud, cujus principium est extra; » sed insuper additur, « nihil conferente vim passo. »

4. *Vis est multiplex, nimirum vis compulsiva.* — Resp. II. Vis est multiplex, ut notat Glossa in c. *Ad audientiam*. §. *Causa*. h. t. videlicet I. « Vis compulsiva, » per quam quis compellitur ad faciendum id, quod non

faceret, si esset penitus liber: et hæc inducit actionem « Quod metus causa. »

5. *Vis ablativa.* — II. « Vis ablativa, » quæ est rerum mobilium, easdem violenter cupiam rapiendo. Et ista inducit actionem « Vi honorum raptorum; » ut habetur § 1. *Instit. de Vi honor. raptor.* et alibi.

6. *Vis expulsiva.* — III. « Vis expulsiva, » quæ fit, quando quis ejicitur ex possessione sua. Et secundum istam inducitur interdictum « Unde vi: » estque solummodo rerum immobilium, vel quæ immobilibus coherent, l. I. ff. *de Vi et vi armata*, cum concordantiis.

7. *Vis turbativa.* — IV. « Vis turbativa, » per quam quis turbatur in possessione sua, eo quod alter se possidere contendat. Et hæc in rebus immobilibus inducit interdictum « Uti possidetis: » in rebus mobilibus autem interdictum « Utrobi; » de quibus extant proprii tituli in jure civili.

8. *Vis inquietativa, quid; quamque actionem pariant?* — V. « Vis inquietativa, » quæ non sinit alterum re sua quiete uti, puta arare, seu aliquid facere; vel quando alter vult quid ædificare, aut jam ædificavit invito domino in alieno solo. Et hujusmodi vis inducit interdictum « Quod vi aut clam; » de quo pariter extat proprius titulus in jure civili.

9. *Vis publica, et privata, quid?* — Tacetur « Vis publica, » quæ fit cum armis: et « Vis privata, » quæ fit sine armis. Nam et de his extant proprii tituli in jure civili, et fusius tractant juris civilis interpretes.

10. *Gesta per vim, seu coactionem absolutam, ipso jure sunt irrita.* — Quæritur II. An gesta per vim valeant? Resp. I. Ea, quæ per vim seu coactionem absolutam gesta sunt, ipso jure irrita existunt. Ita divus Thomas l. 2. q. 6. art. 5. Pirhing h. t. n. 7. et alii. Ratio est, quia deest voluntarium, et consensus, qui pertinet ad substantiam cujuslibet contractus, seu actus humani; nam vi absoluta coactus « magis pati, quam agere convincitur, » ut jam dictum c. *Sacris*. 5. h. t.

11. *Solvitur instantia. Vis, seu coactio est duplex, absoluta et conditionalis.* — Dices: in c. *Abbas*. § fin. h. t. vis æquiparatur metui, illis verbis: « Quæ metu vel vi fiunt, de jure debent in irritum revocari: » juncto c. *Ad audientiam*. h. t. et l. I. ff. eod. Ergo, sicuti gesta ex metu non sunt ipso jure nulla, sed primum rescindenda per sententiam judicis, ut infra n. 30. dicitur; ita et gesta per vim. Resp. neg. consequent. loquendo de vi seu coactione absoluta, de qua procedit conclusio.